

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0417

Giovedì 01.06.2023

Missione e Lettera del Santo Padre all’Inviato Speciale alla Celebrazione del 140° anniversario dell’Evangelizzazione del Congo (Brazzaville, 4 giugno 2023)

L’Em.mo Card. Michael Czerny, S.I., Prefetto del Dicastero per il Servizio dello Sviluppo Umano Integrale, nominato Inviato Speciale alla Celebrazione del 140° anniversario dell’Evangelizzazione del Congo il 29 maggio 2023, sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici:

- 1) Rev.do Sac. Antonio Mabiala, del clero dell’Arcidiocesi di Pointe Noire, Segretario Generale dell’*Association des Conférences épiscopales de la région d’Afrique centrale* (ACERAC);
- 2) Rev.do Sac. Barthel Ganao, del clero di Gamboma, Rettore del Grande Seminario Nazionale di Teologia “Card. Emile Biayenda” di Brazzaville.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all’Em.mo Card. Michael Czerny:

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro
Michaëli S.R.E. Card. CZERNY, S.I.
Dicasterii pro Integra Humana Progressione fovenda Praefecto

Qui filii Dei nominari possimus, pacis opera exercere est nostri atque Domini nostri, auctoris pacis et amatoris caritatis, Evangelium propagare, ut verbo et exemplo vitae populi semper proficiant ad salutem, iugiter fulgens in Ecclesia ubertate virtutum (cfr *Coll. Miss. B.M.V.*, 34: *Regina Apostolorum*, super obl. et post comm.). Qua in Iesu sustentati fide tantoque misericordiae innisi consilio, in universae Ecclesiae necessitatum studium incumbentes, potissimum laetamur de CXL anniversario ab incepta sub Decessoris Nostri beatae memoriae Leonis Pp XIII Pontificatu evangelizatione Congi, multorum Evangelii praecolum suffulta intrepido labore et caritate in Christum Salvatorem gentibus annnuntiando.

Tantam ergo recolentes occasionem, ut inter sollemnia perfrui possent christifideles praesentia ac verbo alicuius Eminentissimi Viri, qui Nostras vices ibi gerat atque erga istum concursum dilectissimum dilectionem Nostram

manifestet, Venerabilis Fratris Benvenuti Manamika Bafouakouahou, Archiepiscopi Brazzapolitani et Conferentiae Episcopalis Congi Praesidis, humanissimae petitioni concedentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, mentem nostram vertimus, qui cotidiano in Nostro ministerio exercendo fraternum Nobis praestas auxilium ac praecipua Afrorum populorum comperis rerum adjuncta, necessitates ac spes, ut hodie peraptus videaris ad hanc legationem obeundam. Idcirco, hisce Litteris Te Missum Extraordinarium Nostrum nominamus ad sollemnia, quae proximo die IV mensis Iunii Brazzapoli agentur, exeunte CXL anno iubilari Evangelizationis Congi.

Libenter tibi potestatem facimus, dum celebrationibus praesidebis, illum coetum, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos cohorteris, ut, beatissima Virgine Maria Regina Africae, spe credentium et fidei praesidio, maternam suam caritatem dispensante, corda fidelium, Christo semper intimius adhaerendo, ab Eiusdem praceptis trahere valeant virtutem, ex qua optata beneficia pacis, concordiae et profectus omnia manant. Simul, insuper, gravissimum Nostrum ministerium Petrinum precibus committimus universo coetui ibi congregato.

Dum tibi, Venerabilis Frater Noster, Benedictionem impertimur omnibus, qui celebrationi intererunt, transmittendam, legationem tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo misericordiae suppliciter obsecrantes, ut hic conventus fidelium, hanc laetitiae occasionem affectu sedulo celebrans, quod recordatione percurrit semper teneat in opere.

Datum Romae, Laterani, die XXX mensis Maii, anno Domini MMXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

FRANCISCUS

[00928-LA.01] [Testo originale: Latino]
